

Solet enim tribunos pl.

Vatinius, cum reus de ambitu fieret, appellavit collegium tribunorum et maxime P. Clodium, quo intercedente effectum est, ut accusatio, quae suscepta fuerat, non posset impleri.

Caeciliam Didiam, Liciniam Iuniam contempsit.

Per haec omnia Vatinium proscindit legum paene omnium contemptorem. Caecilia est autem et Didia, quae iuebant in promulgandis legibus trinundinum tempus 10 observari; Licinia vero et Iunia consulibus auctoribus Licinio Murena et Iunio Silano perlata illud cavebat, ne *clae aerario legem ferri liceret, quoniam leges in aerario condebantur.

Cum haec lex et ab illo socero eius et ab hoc 15 adsecula neglegatur.

Legem Iuliam dicit, quam consul C. Caesar de pecuniis repetundis tulerat, cuius auctoritatem a P. Vatinio dicit esse contemptam et ab L. Pisone. Adsecula enim ipse Vatinius, socer vero Piso hic intellegendus est. 20

Non ea est medicina, cum sanae parti corporis scalpellum adhibetur.

De verbis notabilibus *scalpellum*. Verum hoc est ἐνθύμημα ἀπὸ τοῦ ὁμοίου κατὰ ὄρισμόν, quid sit medicina: non ut, quae sana sunt, volnerentur, sed ut, quae vexata, sanentur. 25